UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Qualem professionem presbyteros aut diaconos suo episcopo oporteat facere, quando per parochias constituuntur. clvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

De eadem re. *Cap.* CLIII.

Ex cõcil. Venetico, cap.1.

CLericus qui intra muros ciuitatis manet, & ea die matutinis hymnis ſine ęgritudine defuerit, ſeptem dies à communione habeatur extraneus.

Quòd omnes ſacerdotes domini oportet doceri, vt cæteros inſtruant, & ſibi proficiant. *Cap.* CLIIII.

Ex epiſt. Anacleti papæ omnibus fideli. miſſa. ca. 10

DOceri ergo omnes oportet, qui domini ſacerdotio funguntur, & vt cæteros inſtruant, & ſibi proficiant. Scriptum eſt enim: Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et alibi: Populus autem ſciens Deum ſuum obtinebit & faciet, & docti in populo docebunt multos. Ipſa enim veritas per ſe infert, & dicit: Beatus eſt qui non fuerit ſcãdalizatus in me. Ille procul dubio eſt ſcandalizatus in Deum, qui rectè non docet, & qui eius ſcandalizat epiſcopum vel ſacerdotem.

Vt ſinguli presbyteri ſingulis annis ſuo epiſcopo de miniſterio ſuo rationem reddant. *Cap.* CLV.

Ex cõcil. Mogun. à Ricolfo eiuſdẽ. ſedis archiepiſco habito, cap.3.

VT vnuſquiſque presbyter per ſingulos annos epiſcopo ſuo rationem miniſterii ſui reddat, tam de fide catholica, q̃ de baptiſmo, atq; de omni ordine miniſterii ſui.

Vt omnis presbyter ſibi ſubditos fidem diſcere conſtringat. *Cap.* CLVI.

Ex cõcil. Gãgren. cap.5.

SYmbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & orationem dominicam, diſcere ſemper admoneant ſacerdotes populum Chriſtianum. Volumusq; vt diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt, ſiue in ieiunio, ſiue in alia caſtigatione. Propterea dignum eſt, vt filios ſuos donent ad ſcholam, ſiue ad monaſteria, ſiue foras presbyteris, vt fidem catholicam rectè diſcant, & Orationem dominicam, vt domi alios edocere valeant. Qui verò aliter non potuerit, vel in ſua lingua hoc diſcat.

Qualem profeßionem presbyteros, aut diaconos ſuo epiſcopo oporteat facere, quando per parochias conſtituuntur. *Cap.* CLVII.

Ex cõcil. Toleta. 5. ca 27.

QVando presbyteri aut diaconi per parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionem epiſcopo ſuo fa-

cere, vt caſtè & purèviuant ſub Dei timore, vt dum eos talis profeſsio alligat, vitæ ſanctæ diſciplinam retineant.

Nulli monacho non ſacerdoti, vel laico, quantumlibet ſint eruditi, licet prædicare. Cap. CLVIII.

DE his verò quæ in ſæpe dicto concilio illicita contra venerandos Nicænos canones præſumptione tentata ſunt, ad fratrem & coëpiſcopum noſtrum Antiochenæ ſedis præſulem ſcripſimus: adiicientes & illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorundam religionis veſtræ verbo mandaſtis per vicarios noſtros, & hoc ſpecialiter ſtatuentes, vt præter Dei ſacerdotes nullus audeat prædicare ſeu monachus, ſiue ille laicus, qui cuiuſlibet ſcientiæ nomine glorietur. *Ex epiſt. Leonis papæ.*

Vt parochiarij clerici ab epiſcopis ſuis canones diſcant. Caput CLIX.

VT parochiarij clerici à pontificibus ſuis neceſſaria ſibi ſtatuta canonum legenda percipiant, ne rei ipſi vel populi quæ per ſalutem eorum decreta ſunt, excuſent ſe poſtmodum ignoraſſe. *Ex cõcil. Aurelia. cap. 6.*

Quòd nulli ſacerdotum canones liceat ignorare. Caput CLX.

CElestinus vniuerſis epiſcopis per Apuleiam & Calabriam conſtitutis. Nulli ſacerdoti ſuos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum poſsit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna ſeruabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa frangatur? *Ex epiſt. Celeſt. papæ. cap. 20.*

De presbyteris parochialibus cum conuenerint vt ſe inebriare non audeant. Cap. CLXI.

VT nullus presbyterorum, quando ad anniuerſarium diem, XXX. aut VII. vel III. alicuius defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam presbyteri conuenerint ſe inebriare nullatenus præſumat, nec præſumat precari in amore ſanctorum, vel ipſius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel ſe aliena precatione ingurgitare, nec plauſus & riſus incõditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præſumat, vel turpia ioca, vel vrſo, vel *Ex cõcil. Hamnet. cap. 10.*